




Qualisnam vox sit, Infortiatum, et de
Pandectarum serie, & partitione.

Andreas Alciatus, cūm cæterarum artiū, tum verò iuris peritissimus, in procemio primi libri Disputationum suarum, in manus suas nuper incidisse ait Digestorum volumen quoddam antiquissimum, non vulgaribus, protritissq; tomis diuisum, sed in duas tantū partes: quarum posterior, à Trebelliano Senatusconsulto sumebat exordium. Que res (inquit ille) manifestissimum facit, ineptam esse recentium dubitationem, dum potissimum ambigunt, cur secundū Digestorum volumen, Infortiatum, dicatur: quasi non barbara hæc vox sit, & nullius sensus, ab indocto aliquo literatore primū facta, quem deinde alij æquē indociles secuti sint. Hæc ille. Proinde nemo se posthac cum Accursianis cruciet, quid ita secunda Pandectarum pars, Infortiatū, appelletur: quum planè nec secunda ea sit, vt que vicesimiquarti libri Digestorum (qui vltimus est Digesti Veteris) titulum vltimum secum trahat: nec vlla aut eius vocis etymologia reddi possit, quū barbara sit, vt iam dictū est: aut eius partitionis iusta ratio. Perpetuus enim est Digestorum ordo ac contextus, quinquaginta omnino librorum continua serie absolutus, non alia prorsus ratione ab antiquis intercisus, quàm quòd tanta librorum congeries, ac velut moles, in iustum aliquod volumen consui non posset: quale quid nunc feceris, si aut Vergilianam Aeneidē, aut Liuij Decades, aut cuiusvis alterius authoris plures libros, eādē rem tractantes, in treis aut plures tomos diuiseris.



